



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Quæstio I. Utrum dæmones ab igne corporeo & sensibili torqueantur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40701**

rum & perdit homines cupiunt, & dæmones prompti consentiunt. Quin ipse dæmon Christo Domino pacti hujus conditionem offerre ausus est: *Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me.* Matth. 4. Ita nunc diabolus magis: *si te mihi addixeris, ulciscar te, &c.* Estque talis conventio haud absimilis illi duorum latronum, quorum alter palàm in silva errat, alter clam in speculo latitat, excitusque certo prioris sibi viatorem dolosa sagittâ transfigit, priore in necem consentiente: huic magus, illi dæmon similis, cujus operâ damnum alteri infertur. Hoc tamen pactum aut præstare, aut fallere dæmoni liberum est, quia ad exsolvendâ promissa cogi ab homine nequit. Illud nihilominus aliquando libere implet, ut sic magos sibi amplius devinciat, aliosque ad similem alliciat impietatem. Pactum verò *expressum* inquit vel cum ipso dæmone sub aliena specie visibiliter adparente, vel cum alio v. g. mago vice dæmonis fungente: *tacitum* inire censeatur, ubi quis sciens ac volens superstitiosis utitur signis, quibus uti magis familiare est.

## §. IV.

*Resolvuntur nonnullæ quæstiones.*

## QUAESTIO I.

*Utrum dæmones ab igne corporeo, & sensibili torqueantur?*

29. **Q**uæ num. 16. paucis dicta sunt, in gratiam eorum, qui à *Theistis*, & *incredulis*, non omnino occupati sunt, paullo uberius discutere juvat suppositis tamen hoc loco iis, quæ passim alibi adversus eosdem dæmon-

mon-

monstrata sunt, veluti de authentia & divinitate Librorum Sacrorum, de veritate Religionis Christianæ revelatæ, de valore argumenti ex communi hominum ferè omnium, quos cæteris moratiores fuisse Inovimus, sensu & persuasione. Quæritur itaque, an dæmones præter damni pœnam in privatione visionis beatificæ sitam, sensus quoque pœnam sustineant, h. e. pœnam ejusmodi, quæ à sensibili ignis corpore proficiscatur?

*Dæmones ab igne corporeo & sensibili torquen-* 30.  
*tur.* Nam 1º ignem inferni, qui paratus est dia- Infer-  
bolo, & angelis ejus, ut in illo crucientur, ve- ni ig-  
rum ac proprium ignem corporeum esse, satis col- nis  
ligitur ex S. Scriptura, in qua Deus pronunciat spi- cor-  
ritus, & homines damnatos igne perpetuo crucian- po-  
dos esse. Sic *Deut. 23. Ignis succensus est in fu- reus*  
*rore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.* est.  
*Judith 16. Dominus omnipotens vindicabit in eis,*  
*in die judicii judicabit illos. Dabit enim ignem*  
*& vermes in carnes eorum. Eccli. 7. Vindicta*  
*carnis impii ignis & vermis. Isa. 3. Quis poterit*  
*habitare de vobis cum igne devorante? quis habi-*  
*tabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Marc.*  
*9. Bonum est tibi debilem introire ad vitam; quàm*  
*duas manus habentem ire in gehennam, in ignem*  
*inextinguibilem: ubi vermis eorum non mo-*  
*ritur, & ignis non extinguitur: quod ipsum ter-*  
*tiâ ibidem vice repetitur. Matth. 25. Discedite*  
*à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est*  
*diabolo, & angelis ejus. Hic autem constans lo-*  
*quendi Scripturæ modus an sensum duntaxat meta-*  
*phoricum admittat? sunt sanè Scripturæ verba in*  
*sensu proprio accipienda, quamdiu neque Ecclesiæ au-*

toritas, neque ratio obstat, Consentiant Patres  
ferè omnes. *Incorruptibiles flammæ* (inquit S.  
CYPRIANUS Serm. de Ascens. Dom.) *nudum corpus  
allambent: ardebit purpuratus dives . . . In  
proprio adipe frixæ libidines bullient, & inter  
sartagine & flammis miserabilia corpora crema-  
buntur.* Et in L. de laudib. Martyr. c. 5. *Para-  
disus Dei testibus floret, negatores gehenna com-  
plexa, ubi æternus ignis inardescit.* Pariter S. CYRIL-  
LUS Alex. *Orat de exitu animæ, de igne inferni  
tamquam de vero, & corporali loquitur.* S. GRE-  
GORIUS L. 4. *Dial. c. 28. Sicut electos beatitudo  
latificat, ita credi necesse est, quòd à die exitus  
sui ignis reprobos exurat.* S. HIERONYMUS ep.  
59. ad Avitum, inter ceteros errores in Libris  
Origenis cavendos, hunc ponit, *quòd ignem infer-  
ni non ponit in suppliciis, sed in conscientia pec-  
catorum.* Et in illud ep. ad Ephes. 5. *Nemo vos  
seducat inanibus verbis, inter verba inania ponit  
opinionem eorum, Qui dicunt non futura pro  
peccatis esse supplicia, nec extrinsecus adhibenda  
tormenta, sed ipsum peccatum, & conscientiam  
delicti esse pro pœna, dum vermis in corde non  
moritur, & ignis in animo accenditur.* S. AU-  
GUSTINUS L. 12. de Civ. c. 10, ait *veris quam-  
vis miris modis etiam spiritus incorporeos pœnâ  
corporalis ignis affligi posse.* S. PROSPER L. 3. de  
vita contempl. c. 12. inquit de damnatis: *Quos ideo  
ignis inextinguibilis sibi deputatos non extinguit,  
ut permanente sentiendi vitâ, pœna permaneat.*  
HUGO Eterianus L. de regressu anim. c. 12. *Nec  
est in dubitationis parte locandum, ignem illius-  
modi esse corporeum, in quo certum est spiritus*  
cru-

*cruciari.* HUGO de S. *Vict.* L. 2. de *Sacram.* p. 16. c. 3. *Verissimè*, inquit, *autoritate Sacri eloquii, & catholicae veritatis probatur testimonio, corporali & materiali igne animas nunc etiam ante susceptionem corporum cruciari.*

*Respondetur ad objecta.*

*Obj. I.* S. Scriptura loquens de igne, quo daemones cruciantur, vocem ignis metaphoricè duntaxat accipit, dum enim *Luc. 16.* dives ille legitur ingemiscere: *quia crucior in hac flamma;* de eodem ibi dicitur: *elevans oculos suos vidit Abraham à longe;* item: *mitte Lazarum, ut intingat digitum suum in aquam, & refrigeret linguam meam.* Certum est autem, oculos, digitum & linguam animabus damnatorum nonnisi improprie tribui; proinde & flamma, qua cruciabatur dives, non est nisi improprie talis. *Resp.* Dialogus ille divitem inter & Abrahamum non continet historiam sed parabolam, qua usus est Christus ad significandam miserrimam divitis damnati sortem: ideoque Christus usus est verbis partim metaphoricè, partim proprie significantibus, ita tamen, ut hoc ipso loquendi genere & damnatorum calamitates, & causas afflictivas repræsenteret, prout saepe alibi in Scriptura expressit.

*Inst. I.* Hæc *Isaia* (c. 66.) verba: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur,* Christus de pœnis damnatorum interpretatus est *Marci 9.* vermis autem ex communi omnium sententia metaphoricè sumitur; igitur & ignis, quia de utrisque æqualiter pronunciat. *Resp.* Si sermo

fit de corporibus damnatorum post diem iudicii, nihil obest, quominus à propriis vermibus crucientur, quin tamen idcirco corpora minuenda sint, quæ non minus à vermium, quàm ab ignis perpetuò urentis consumptione per Dei virtutem servabuntur. De animabus verò & spiritibus Angelicis ubi sermo est: vermis conscientia remorsum & stimulos designat, ignis autem substantiam corpoream, utriusque acceptioni subscribente communi PP. & totius Ecclesie sensu, quo stare oportet in S. Scripturis interpretandis. Nequit etiam vermis proprio ore, aut dentibus substantiam spiritualem corrodere, sicque illam affligere, cum ille dolor non causetur in vivente nisi per actionem vitalem ipsius vermis, quæ ad subtractionem & quasi divisionem alterius tendit, cuius dæmones, utpote spiritus, capaces non sunt. Omnis vero actio ignis merè extrinseca est.

*Inst. 2.* Non semel ignis in Scriptura sumitur metaphoricè, veluti *Isa. 33. Spiritus vester ignis vorabit vos.* Item *Matth. 3. Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igne.* Ergo. *Resp.* Vocabula *leo, petra,* & similia aliquando in Scripturis sumuntur metaphoricè: an ideo semper? quæ igitur notio vocabulis subfit, ex adjunctis, interpretatione Patrum, & Ecclesie sensu determinari debet. Locus *Isaie* est iste: *Conspicietis ardorem, parietis stipulam, spiritus vester ut ignis vorabit vos: h. e.* ut interpretatur *MENOCHIUS,* magnæ erunt molitiones vestrae: at stulta vestra consilia inanes habebunt effectus, & vobis ipsis pro fomentis perditionis vestrae inservient. Christus autem prædicatur

tur baptizaturus in Spiritu Sancto, & igne, quia Spiritum Sanctum missurus erat sub specie ignis.

*Inst.* 3. Quando Christus dixit *Matth.* 8. v. 12. *Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium*, solum explicare acerbitatem pœnæ voluit, quin ista in sensu proprio accipi debeant; cur idem de igne dici nequeat? *Resp.* Fletus & stridor dentium ubi ad animas & daemones applicantur, per se patet, in propria significatione sumi non posse: Unde S. PROSPER L. I. de vita contempl. c. 12. *Fletus inquit, & stridor dentium acerrimos dolores ostendunt.* Et S. CHRYSOSTOMUS ep. 5. ad Theodor. laps. dicit *significari cruciatus incredibiles.* At nihil est, quod significationem propriam ignis vetet. Sed & duos illos effectus solis applicari hominibus debere, & quidem post judicium universale, quando jam homines damnati etiam in corporibus punientur, exinde satis arguitur, quia Christus *loc. cit.* de hominibus loquitur: ideoque in sensu proprio accipi queunt; nam *lacrymas fumus ignis exprimet*, inquit S. HIERONYMUS, aut etiam à nimio dolore exprimentur. Stridorem dentium vel pœnarum acerbitas, vel desperatio, furor & indignatio causabunt, quin necessum sit ad frigus recurrere, quod nonnulli in inferno habiturum esse locum existimant ex illo *Jobi* 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum illius.* Ubi tamen in verbis prioribus non videtur esse sermo de statu inferni, nec de penis illius, sed potius de peccatis hic admittis, quæ peccatorem ad inferos detrudunt. Et certè in eodem capite per varias metaphoras varia vitia designantur. Christus,

quoque pœnam ignis velut unicam comminatur, quantum sc. ad pœnam sensûs.

*Inst.* 4. Pœna ignis opponitur visioni beatificæ tamquam summum malum summo bono: afflictio autem ex igne nata nequit dici summum malum beatitudini Sanctorum extremè oppositum. *Resp.* Duæ sunt partes Christi sententiæ in damnandos ferendæ: *Discedite à me maledicti:* en pœnam damni beatitudini Sanctorum immediatè & extremè oppositam; & *in ignem æternum*, quæ est pœna sensûs, quæ licet gravissima sit, minor tamen est privatione visionis intuitivæ Dei.

*Obj.* II. Inferni ignem corporeum esse, non fuit constans PP. sententia, immo plures eundem metaphoricè intellexerunt teste S. HIERONYMO in c. 66. *Isa.* dicente: *Vermis, qui non moritur, & ignis, qui non extinguitur, à plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in suppliciiis constitutos.* Sic ORIGENES L. 2. *Periarch.* c. 10. *Qui discedunt*, inquit, *à Jesu, mittuntur in ignem æternum, qui alterius generis est ab hoc igne.* S. AUGUSTINUS L. 20. de civ. c. 16. ait: *Cujusmodi ille ignis sit, scire arbitror neminem, nisi cui Deus revelaverit; & L. 21. c. 10. adductis illis verbis: Quia crucior in hac flamma, subjungit: Dicerem utique flammam illam esse corpoream, nisi convenienter responderi posset, talem esse illam flammam, quales oculi, qualis lingua, qualis digitus, ubi erant sine corporibus animæ.* Ibid. *Corporalia non sunt, sed similia corporalibus ea, quibus animæ corporibus exuta cruciantur.* S. GREGORIUS L. 15. *Moral.* c. 17. *Ignis, inquit, corporeus, ut ignis esse valeat, corporis indiget fomen-*

fomentis. Qui cum necesse est ut servetur, per congeſta ligna procul dubio nutritur; nec valet niſi ſuccenſus eſſe, & niſi refotus ſuſſiſtere. At contra gehennæ ignis, cum ſit incorporeus, & in ſe miſſos reprobos corporaliter exurat, nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur; ſed creatus ſemel durat inextinguibilis. S. AMBROSIUS L. 7. in Luc ad c. 14 §. 3. ita concludit: Ergo neque corporalium ſtridor aliquis dentium, neque ignis aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis eſt corporalis. S. DAMASCENUS L. 4 de Fide c. ult. ait, flagitioſos homines, & ſpiritus in ignem æternum, non materiâ inſtar huius noſtri conſtantem, ſed qualem Deus novit, conjiciendos eſſe. Ergo. Reſp. Quo ſenſu S. HIERONYMUS ſcripſerit vermem ignemque à plerisque conſcientiam peccatorum accipi, non ſatis liquet. Certum eſt, quòd ipſe S. Doctor inferni ignem verum, ac proprium admiferit. Fortaſſis per pleroſque intellexit eos, qui Origenem ſecuti ſunt, cujus hac in parte nulla eſt habenda ratio. Ad 2dum S. AUGUSTINUS non tam de ignis veritate, quàm de modo, quo ſpiritus ab eodem cruciantur, dubius ſæpe fuit, ideoque tandem confeſſus, veris, quamvis miris modis ſpiritus incorporeos ab igne corporeo torqueri. Ad 3tium. In textu S. Gregorii, ut notat PETAVIUS non incorporeus, ſed corporeus legi debet, ita ut ſenſus ſit: at contra Gehennæ ignis, quamvis ſit corporeus, &c. Suadet hanc lectionem ipſa oppoſitio, quam S. D. ibidem faciebat: nam L. 4. Dial. diſertè edixit: Si viventis hominis incorporeus ſpiritus tenetur in corpore; cui non poſt mortem,

mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur? S. AMBROSIUS videtur solum negasse ab igne infernali excitari flammæ corporales ejusmodi, quæ eo modo crucient animas, quo corpora torquentur; aut certè excusandus est, eo quod veritas hæc eo tempore satis necdum fuerit declarata. S. DAMASCENUS non negabat inferni ignem corporeum, sed solum materialem ejusmodi, quæ ligno, sicut noster ignis, foveri debeat. Cæterum sententia, quam Patres fere omnes tenent, non ideo robore suo destituitur, quòd unus alterve oppositum docuerit.

*Obj.* III. Sit igitur inferni ignis corporeus: an ideo dæmones ab eodem torquentur? immo quia corporeus est, spiritus affligere nequit. *Resp.* Ignem hunc diabolo, & angelis ejus paratum esse in pœnam peccati, docet Christus: proin certissimum est, eundem dæmonum afflictivum esse. Veris igitur, quamvis miris, modis ab igne torquentur & animæ separatae, & mali Angeli. Hos autem veros & miris pœnæ igneæ modos an tu experiri voles, & in omnem subire æternitatem?

#### Q U A E S T I O II.

*An Magi extent, & ope dæmonis mira patrare possint?*

31. **M**agia diabolica ex Sacris Paginis, ex Jure Canonico, & Civili ostenditur. Nam Lev. 19. Deus præcepit Israëlitis: *Non declinetis ad magos.* Et c. 20. *Anima, quæ declinaverit ad magos . . . interficiam illam de medio populi sui.* Jus Sacrum XXVI. Q. 5. c. 5. quod ex Concilio To-

LETA-